

DE COMPOS. MED. LIB. III.  
CERAE RVBEAE CONFICIENDAE  
modus.

353

**A**ccipit ceræ puræ, lib. tres. Terebinthinæ, q̄r. tres. Miniij secundarij, vñc. nouem. Fiat cera rubea, in formulas sculptas fusa.

CERAE VIRIDIS FACIENDAE  
ratio.

**R**ecipe ceræ, lib. tres. Terebinthinæ, quar. tres. Aeruginis aeris, vñc. vnam, & dimidiam. Ad lentum ignem liquata miscentur, & in formulas funduntur sculptas spongia aqua imbuta humectatas.

CERAE FLAVAE.

**C**ape ceræ, lib. duas. Resinæ bonæ, lib. vnam, vel q̄r. tres. Terebinthinæ, q̄r. vnam. Ad lentum ignem miscentur.

ATRAMENTVM SCRIPTORIVM.

**H**abet gallarum, lib. vnam, & dimidiam. Vitrioli, q̄r. tres. Gummi arabici, vñc. sex. Aquæ & vini mensuras octo.

A P P E N D I X.

**H**anc compositionem atramenti scriptorij quidam binis versiculis perpulchrè complexus est, qui sunt eiusmodi:

*Vitrioli quarta, media sit vncia gummi:  
Integra sit galla, superaddas octo Falerni.*

Atq; hæc est vulgata, multisq; communis compositio. Dioscorides in fine quinti habet alias, quas illic videre licet.

\*

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COM-  
PONENDORVM MISCENDORVMQVE MEDICAMEN-  
torum ratione, Liber tertius: Leonharto Fuchσιο medico autore.

P R O O E M I V M.



**Q**VVM in eo, qui præcessit, libro omnium ferè hodie vsitatorum medicamentorum compositiones à nobis sint traditæ, & annotationibus illustratæ: reliquum nunc est, vt qua ratione illis à medicis vtendū sit, & quomodo ex earundem permixtione formulæ, quas barbari Receptas nominant, struendæ sint, exponamus. Quum autem eorum medicamentorum cõpositorū, quorum hodie vsus est, in vniuersum duo sint primaria genera, vnum, quod intra corpus sumitur: alterum, quod extrinsecus corpori

*Duo compositorum medicamentorum primaria genera*

adhibetur, de priore quidem genere in hoc tertio agemus libro: alterius verò tractationem, sequens sibi vendicabit liber. Eius autem generis quod intra corpus sumitur, variæ sunt species. In quibus sanè enumerandis, vulgi nomenclaturas aliquot immutauimus, partim quod barbaræ & ineptæ fuerunt, partim quod veterum appellationibus quæ puriores sunt, & rei naturam nobis certius

g iiij expri-

*Species medicamentorum quæ in corpus sumuntur.*

exprimunt, & ob oculos ponunt, assuefacere iuniores medicos voluimus: ut tandem contemptis spretisque barbaris, veris & latinis uti discerent. Nisi enim aliquando veras medicamentorum nomenclaturas reducere in quæ usum quotidianum reuocare incipiamus, metus est ne perpetuo rerum etiam caligine obruamur. Tamen si qui imperitiores in ijs intelligendis hærebunt, ad primum librum confugiant oportet: in quo passim latinis & græcis barbaras appellationes cõiunximus, ne vllus nos obscuritatis alicuius autores fuisse meritò queri possit. Quamuis autem medicamenta quæ in corpus recipiuntur, composita varia sunt, tamen nos vniuersa viginti tribus speciebus, hodie vsitatis, complectemur, quarum hæc sunt nomina:

- 1 Antidota propriè dicta.
- 2 Purgatoria medicamenta, liquida & solida.
- 3 Catapotia, siue pilulæ.
- 4 Vomitum elicientia.
- 5 Sacchara.
- 6 Condita.
- 7 Eligmata, vulgò Loch dicta.
- 8 Zulapia, vulgò Iulebia.
- 9 Succii medicati, vulgò Rob & Miuræ.
- 10 Serapia, vulgò Syrupi.
- 11 Decocta.
- 12 Pulueres, seu tritura, Drangea, vel Tragea.
- 13 Pastilli, vulgò Trochisci.
- 14 Glandes, barbaris Suppositoria.
- 15 Clysteres.
- 16 Collyria, Arabibus Sieff.
- 17 Gargarizatus, Gargarismiue.
- 18 Dentifricia.
- 19 Pessi, vulgò Pessaria.
- 20 Errhina, Nasalia vulgò.
- 21 Apophlegmatismi, vulgò Masticatoria.
- 22 Odoramenta, siue pilæ odorata.
- 23 Suffimenta, suffitusue.

De quibus singulis eo, quo positæ sunt, ordine differemus, ab Antidotis exorsu.

## DE ANTIDOTIS.

### Caput I.

*Antidota quæ?*



*Tres veteribus antidotorum differentia.*

Medicamenta omnia quæ non foris admota corpori, sed intra corpus assumpta vitijis medentur, Græci veteres, Galeno libro 1. de Antidotis teste, antidota, ab ἀντιδοτῆς δὲ ὄνομα, quasi aduersus plurima morborum genera & vitia data, & fœminino genere Antidotos appellarunt. Vnde cephalica, ophthalmica, stomatica, arteriaca, stomachica, cardiaca, hepatica, splenica, nephritica, colica, & id genus alia quæ ab vsu nomina sua habuerunt medicamenta, harum partium vitijis salubria, antidota dixerunt. In vniuersum autem tres fuerunt illis, eodem Galeno attestante, antidotorum differentia. Horum enim quædam aduersus letalia medicamenta, siue deleteria quæ aliquo malo fato sæpe exhibentur, ac bibuntur dabantur. Quædam contra feras venenum iaculantes, siue virulentas. Quædam vitijis & affectibus ex prauo victu & humoribus vitiatas obortis